

leuchtet, Sanct. 35, 2: quantum enim *bonum exemplum* valeat, in Ecclesia patet. ad exemplum enim bonorum multi etiam inimici Dei in Ecclesia jejulant, qui nequaquam jejunarent, cum Deum non multum diligant, si exemplum jejunii in aliis non viderent. similiter de vacatione in diebus festis, de disciplina in missis, de eundo ad predicationes, missas, et quandoque ad matutinas, de sacrificiis electis in Die Animarum et aliis temporibus, qui hoc non facerent, nisi quod per bona exempla aliorum ad hoc deducuntur. — Über die Arten des Almosens, Domin. 119, 2: de rebus ergo debet dare tria (genera eleemosine). primum est, denarium vel buccellam vel hujusmodi, quamvis parum. secundum est, mutuare pecuniam vel vestes vel jumentum et hujusmodi. tertium est restituere, quia, licet talia mutuares, multo melius est restituere quam aliquam eleemosinam cum talibus exercere. item de corpore tria. primum est, si scis aliquam artem mechanicam, ut cum illa aliquando servias et subvenias pauperi. secundum est, quod servias aliquando pauperibus in hospitali, quia, quanto pauper contemptibilior, tanto eleemosina est Deo gratior. unde vos, servi et ancille, quando domini vestri recipiunt aliquos pauperes, libenter debetis eis servire. tertium est bonum exemplum prebere. Almosen gibt man verborgen in die Hand Gottes, Spec. 66, 2: certe, si scires, cui dares, libenter tribueres. non das illi vel illi, sed ipsi Domino in manum suam, licet ipsam non videas, sed tantum hominis. Das *goldene Almosen*, Domin. 120, 1: tertia eleemosina est remittere injurias. ista est *aurea eleemosina*. iste est carbunculus, qui nos clarere fecit coram Deo et pro quo ineffabile meritum recipimus. hanc eleemosinam dedit Dominus in cruce, quando oravit pro crucifixoribus. Spec. 66, 2: super omnem autem eleemosinam una est, que potentius et plus peccata delet hic, licet omnes valde potenter deleant. hec transcendit omnem aliam eleemosinam, ut luna stellas in nocte, quamvis et ipse sint pulcherrime. ut aurum metalla, quamvis et ipsa sint utilia ad multa, ut carbunculus lapides, aquila aves, leo nobilitate bestias, arbor vite omnia ligna paradisi, cetus pisces etc. hec est: pure indulgere ledentibus. hec eleemosina pre aliis ita est efficax, quod nullum est peccatum ita immundum, ita execrabile et abominabile, turpe, deforme, ita venenosum, ita leprosum, quod non sanet et deleat potenter, nullum ita magnum, si esset ut